



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Bono Sodalitatis Partheniæ, Et Officiis Sodalis Erga Deiparam Patronam

**Bourgeois, Jean**

**Antverpiæ, 1622**

Cap. 28. De pœnis Purgatorij migitatis, & precibus pro defunctis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48699)



Philip. 7.  
23.

*secundum verbum tuum in pace. Cupio dissolui, & esse cum Christo, cum Christi Matre,*

Bernard. ad  
militres  
templi.

*spiro. O vita secura illa, vbi pura consciētia! ô inquam vita secura, vbi absque formidine mors expectatur, imò & exoptatur cum dulcedine, & excipitur cū deuotione! Sed quis sibi ex hac innocētia & sanctitate vitæ spondeat? ergo ad*

Sur. to. 2.  
3. April.

*te confugimus, ô misericordiæ Mater, in te spes omnes nostræ. Et vtinam extreme illæ sint nostræ voces intermortuæ, quas sibi continenter in agone cupiebat insuffurrari S. Richardus Episcopus Ciceritrensis: Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe!*

### C A P V T XXVIII.

*De pœnis Purgatorij mitigatis, & precibus pro defunctis.*

**B**eneficia clementissimæ Matris in  
*liuos, & Partheniæ Sodalitatis utilitates, minimè angustis huiusce vitæ cancellis*



cellis includuntur, cùm ad alteram præcipuè referantur immortalem omni æo duraturam: tum exploratissimi Sodali- tatis fructus constabunt, cùm huiusce vitæ caducæ tempus effluxerit; cùm bea- tæ lux æternitatis exoriri cœperit, qui in Deiparæ cultu bonorum omnium acer- uui ac thesauri delituerint, apparebit. Quamquam obita morte prætergressum iam erit misericordiæ tempus, & suas si- bi vices iustitia vindicabit: sicut enim utrâ- que vitam inter se partitæ videntur mise- ricordia atque iustitia, vt in præsentem dominetur misericordia, in futura iusti- tia. Breuius quidem, sed antè est mi- sericordiæ tempus, ex quo sempiternum æuum iustitiæ consecutura discrimina- tur. Hic saluatoris, post iudicis partes a- git Dominus: hic indulget clementer er- rata, post eorum exiget seuerè pœnas ad extremum propè iustitiæ rigorem. Quã- uis, inquam, abierit iam misericordiæ tempus; tamen vix fieri poterit, vbi So- dalis animam è corpore digressam cle- mentissima Mater comitata fuerit, pro- que ea ad filij Saluatoris iudicis que tri-  
 L 4                      bunal



bunal aggressa patrocinari, quin eius ho-  
 noris causa Saluator purgatorias pœnas  
 moderetur, ab eaque tam amanti Matre  
 exorari se patiatur, vt de summo illo pœ-  
 narũ rigore detrahat aliquantulum, ali-  
 quid omnino maternis precibus est da-  
 turus. Et verò etiam pro sua benignitate  
 Mater optima partẽ aliquã suarum satis-  
 factionum, quarum thesaurus immensus  
 hæctenus exhauriri non potuit, nec po-  
 terit ad extremum, opinor, vsque iudicij  
 diem, earum, inquam, satisfactionum,  
 quæ nulli fuerint applicitæ, in exsolutio-  
 nem partis pœnarum eius animæ libera-  
 liter offeret, aut de Christi filij sui satis-  
 factionibus vnde quaque infinitis, eo  
 minimè renitente mutuabitur; aut de  
 communi Sodalitatis ærario pro suo iu-  
 re, cuius est ipsa princeps, desumet, & vt  
 ille meritus fuerit in vita Sodalis, attri-  
 buet; aut denique gratiam vberem suis  
 adhuc hac in vita degentibus clientibus  
 alijs impetrabit; qua defuncto Sodali  
 succurrant communibus suffragijs, sa-  
 crificijs, precibus, eleëmofynis, ieiunijs,  
 alijsque sponte susceptis pœnis ad præ-  
 ciden-



cidendas mitigandasque summas illius  
 ignis purgatorij flammam, quarum acer-  
 bitati nulla suppliciorum ac tormento-  
 rum huiusce vitæ comparari potest im-  
 manitas. Id sanè præcipuè curæ est Sodalitatis, cuius lege nona præscribitur: Cùm  
 è Sodalibus aliquis ægrotauerit, eum  
 tum Præfectus inuisè dum, & sanctis Ec-  
 clesiæ Sacramentis muniendum curabit,  
 tum omnes Domino suis precibus com-  
 mendabunt, quæ pertinent ad mortem  
 piè sancteque obeundam. de qua supe-  
 riore capite. Quod nunc agimus, quòd si  
 contigerit eum è vita discedere, Sodales  
 illius funus ad sepulturam prosequen-  
 tur. Deinde quo primùm die commo-  
 dum fuerit, mortuorum Officium pro  
 eodem, vel simul omnes in oratorio, si  
 fieri possit, recitabunt, vel certè per se v-  
 nusquisque separatim. Per octo autem  
 dies psalmum *De profundis* cum oratio-  
 ne pro defunctis, pro illo dicent semel  
 quotidie singuli. Tota denique Sodali-  
 tas Missæ sacrificium pro eius anima se-  
 mel saltem offerendum curabit. Quod  
 beneficium quanti sit estimandum, tum,



vti dixi, constabit in altera vita, cum erit extrema Purgatorij pœnarum acerbitas subeunda. Neque verò differt ab infernali purgatorius ignis, nisi quòd ille sit æternus, & desperatione cumulatus, hic certa spe releuetur, & sit aliquando terminandus, ceterum eiusdem diuinæ iustitiæ flatu concitatus. S. Augustinus, psalmi 37. primum versum sic interpretatur: Domine, ne in indignatione tua arguas me. non sim inter illos, quibus dicturus es, Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Neque in ira tua emendes me, vt in hac vita purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne non sit opus, propter illos qui salui erunt, sic tamen quasi per ignem. Et nonnullis post interiectis, Quia dicitur, *Saluus erit, cõternitur ille ignis.* Ita planè, quamuis salui per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quàm quidquid homo potest pati in hac vita. Et notis, quanta hîc passi sunt mali, & possunt pati, tamen tanta passi sunt, quanta poterunt pati & boni. Quis autem sustineat intueri parentem, fratrem, propinquum,

August. in  
psal. 37.



quum, sodalem, amicum hisce etiam  
 nostratibus ignibus amburi, & totum  
 ardere flammis, neque mox eos eripere  
 omni ope nitatur? quis tam duro fer-  
 reo que sit pectore, qui non ad eorum  
 eiulatus & commiserandas voces to-  
 tus commoueatur? *Miseremini mei,*  
*miseremini mei saltem vos amici mei.* Sunt  
 illæ quidem animæ sanctæ, Deo gra-  
 tissimæ, in eius gratia atque amicitia  
 confirmatæ iam ab ipso primo corporis  
 egressu; sed nihil sibi met opitulari pos-  
 sunt, nihil afferre subsidij, diuinæ iusti-  
 tiæ rigori traditæ, præterito merendi &  
 satisfaciendi tempore, solâ eis satis passio-  
 ne relictâ. & verò cupiunt illæ diuinæ  
 quoque iustitiæ facere satis; tametsi &  
 pro sua ardentissima in Deum charitate,  
 supra quàm dici queat, ad eius conspe-  
 ctum anhelent, vt hæc pœna damni, ex  
 dilata clara Dei visione pœnam sensus  
 exæquet aut superet. at vbi pœnis exso-  
 lutæ ad hunc Dei cōspectum euolarint,  
 tum eis, à quibus adiutæ fuerint ope suf-  
 fragiorum, cumulatissimè rependent, ac  
 reponent, in omnem æternitatem futu-



ræ gratissimæ. Non patientur hæc nostra  
 ad eorum pœnas mitigandas, maturius-  
 que finiendas oblata suffragia, suis vi-  
 cissim, cùm primùm licebit, officijs su-  
 perari. quod igitur monet Ecclesiasticus,  
 Eccl. 38. 16. *Fili, in mortuum produc lacry-  
 mas, & quasi dirapassus, incipe plorare, & se-  
 cundùm iudiciam, contege corpus illius, & ne  
 despicias sepulturam illius.* Quæ pertinent  
 ad funeris curationem, exequiarum ho-  
 norem, sed præcipuè magnam vim la-  
 crymarum pro animâ illâ dira Purgato-  
 rij tormenta perferente, proferendam  
 insinuant, cùm eius iusta persoluuntur.  
 Quamquam extremum illum luctum  
 Sapiens ultra diem vnum duòsue pro-  
 rogari non vult, vehementerq; noxiam  
 illam, & animo & corpori infestam, dâ-  
 nat tristitiam; tamen ait ex persona de-  
 functi: *Memor esto iudicij mei, sic erit & tuũ;  
 v. 23. mihi heri, tibi hodie.* eadem nos fors ma-  
 net. Moriendum est, & incertum est an  
 eo ipso die; tũ à morte æquè & ampliùs  
 piorum viuentium subsidijs suffragiisq;  
 indigebimus. Qua verò mensura priori-  
 bus mensi fuerimus, eadem posteriores



nobis remetientur, par pari rependetur officium. *In requie igitur mortui requiesce-<sup>v.24.</sup> refac memoriam eius, & consolare illum in exitu spiritus illius.* Quod quoratione fieri potest, nisi procurato in summis illius Purgatorij pœnis aliquo subsidio atque alleuamento per pœnas eius vice susceptas, per ieiunia, per orationes, per eleëmofynas? de quibus idem Ecclesiasticus: *Gratia dati in conspectu omnis carnis, & <sup>Cap.7.17.</sup> mortuo ne prohibeas gratiam.* quod & filio suadebat Tobias pater, cui & præibat *Tob.4.17.* exemplo: *Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue,* de quo supra. *Panem tuum cum esuriētibus & egenis comede, & de vestimentis tuis nudos tege.* Nusquã rectiùs collocantur opera misericordiæ, quàm in hoc Dei nosocomio, & carcere defunctorum: sed præcipuè iuuantur sacrificio Missæ propitiatorio pro viuīs & defunctis. Hoc S. Monica mater Augu- *Lib.9.conf. II.* stini moritura petebat vnum pietatis officium: *Ponite hîc corpus meum, tantùm illud vos rogo, vt ad Domini altare memineritis mei. Mei quoque lector ab obitu, si hæc scripta durabunt, Angelica*



254 DE BONO SODAL. PARTH.  
salutatione apud communem Domi-  
nam ac Matrem meminisse non gra-  
ueris.

C A P V T XXIX.

*De Indulgentiis ab Apostolica Sede  
Sodalitati concessis.*

**N**Eminem later in ærarium commu-  
ne matris Ecclesiæ relatos infini-  
tos Christi Domini meritorum ac satisf-  
factionum thesauros, qui nulla unquã  
liberalitate poterunt exhauriri: immen-  
sas deinde Deiparæ Virginis, Sanctorũ-  
que, quibus minimè opus habebant,  
cùm nihil haberent expiandum, satisfa-  
ctionum gazas. quas, vti eas appellat S.  
Ambrosius, immortalitatis diuitias dis-  
pensandi atque erogandi potestas au-  
ctoritasque omnis penes est Rom. Pon-  
tificem, quem sui gregis supremum ac  
communem Pastorem Christus Domi-  
nus instituit. Hac potestate perquam li-  
beraliter vsus Gregorius XIII. sanctæ  
memoriæ Pontifex opt. max. amplissi-  
mas